

~~12376~~
~~B 4590~~

Bav 383
No. 9

2632

Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium

in

Deutsch - Crone

in dem Schuljahre 1860—61,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 8. August

und

zu den Schlußfeierlichkeiten am 9. August

ergebenst einladet

der Director des Gymnasiums

Dr. Franz Peters.

NEUE FOLGE.

Nro. VI.

De attractione quadam temporum ac modorum linguae latinae.

Von dem Director.



Deutsch - Crone,

Druck von V. Garmö.

1861.

Printed in Germany

De attractione quadam temporum ac modorum linguae latinae.

Scriptis **Franciscus Peters** phil. Dr.

Conditionalium sententiarum, quibus aliquid vel non fieri vel non posse fieri significatur, partes relativo aut interrogativo aut conjunctione aliqua non conditionali adjunctae, etiamsi vim conditionalem minus vel attingunt vel videntur attingere, tamen constructionem conditionalem retinere et imperfecto aut plusquamperfecto conjunctivi exprimi solent. Cujus rei exemplis a Madvigio ad Cic. de Fin. 1, 7, 25, a Zumptio Gram. lat. §. 512 et Schultzio §. 329. not. 2 allatis plurima alia addi possunt. Velut Cic. ad Fam. 6, 6, 4: *Dicerem, quae ante futura dixissem*, (i. e. dixi), *ni vererer, ne ex eventis fingere viderer*. De Fin. 1, 6, 21: *Quae etsi mihi nullo modo probantur, tamen Democritum, laudatum a ceteris, ab hoc, qui eum unum secutus esset, nollem vituperatum*. Brut. 2, 6: *Etenim si viveret Q. Hortensius, cetera fortasse desideraret una cum reliquis bonis et fortibus civibus; hunc aut praeter ceteros aut cum paucis sustineret dolorem, quum forum populi Romani, quod fuisset quasi theatrum illius ingenii, voce erudita et Romanis Graecisque auribus digna spoliatum atque orbatum videret*. Cujus loci conjunctivum fuisset ex Hortensii mente doloris causam reddentis expressum esse Fr. Ellentius de form. enunciat. conditional. p. 12 minus recte statuit; nam ea si hujus conjunctivi vis esset, dicendum erat: *quod fuisset quasi theatrum sui ingenii*. Tusc. Disp. 1, 5, 9: *Si solos eos diceres miseros, quibus moriendum esset, neminem tu quidem eorum, qui viverent, exciperes, — moriendum est enim omnibus —, esset tamen miseriae finis in morte*. Ib. 3, 16, 35: *Diceres aliquid et magno quidem philosopho dignum, si ea bona esse sentiret, quae essent* (i. e. sunt) *homine dignissima*. Ib. 5, 9, 27: *Praeclare, si Aristo Chius aut si Stoicus Zeno diceret, qui, nisi quod turpe esset, nihil malum duceret*. Cat. Maj. 12, 42: *Quorsus haec? ut intelligatis, si voluptatem aspernari ratione et sapientia non possemus, magnam habendam senectuli gratiam, quae efficeret* (i. e. efficit), *ut id non liberet, quod non oporteret*. De Fin. 2, 35, 119: *Exigerem ex te cogereque ut respon-*

deres, nisi vererer, ne Herculem ipsum ea, quae pro salute gentium summo dolore gessisset (i. e. gessit), voluptatis causa gessisse diceres. Pro Sulla 2, 5: An vero in quibus subselliis haec ornamenta ac lumina rei publicae viderem, in his me apparere nollem, quorum ego illum in locum atque in hanc excelsissimam sedem dignitatis atque honoris nullis meis et magnis laboribus et periculis ascendissem? Ib. 5, 14: Multum haec vox fortasse valere deberet ejus hominis, qui consul insidias rei publicae consilio investigasset, veritate aperuisset, magnitudine animi vindicasset, quum is se nihil audisse de P. Sulla, nihil suspicatum esse diceret. Pro Balbo 6, 16: Etenim si Pompejus abhinc annos quingentos fuisset, is vir, a quo senatus adolescentulo atque equite Romano saepe communi saluti auxilium expetisset, cujus res gestae omnes gentes cum clarissima victoria terra marique peragrassent, cujus tres triumphus testes essent totum orbem terrarum nostro imperio teneri, quem populus Romanus inauditis honoribus singularibus decorasset, — si nunc apud nos id, quod is fecisset, contra foedus factum diceretur, quis audiret? Ad Qu. frat. 1, 1, 9: Quanta tandem pecunia penderetur, si omnium nomine, quicumque Romae ludos facerent, quod erat jam institutum, erogaretur? Liv. 26, 49 extr.: Tum Scipio, Meae populique Romani disciplinae causa facerem, inquit, ne quid, quod sanctum usquam esset (i. e. est), apud nos violaretur. Cic. ad Fam. 4, 7, 5: Hi autem qui essent, auderem scribere, nisi te intelligere considerem. Quo cum loco alius a Zumptio l. c. allatus ad Fam. 13, 6, 4 conferendus est: quae quantum in provincia valeant, vellem expertus esses, ubi praesens valeant potius ad futura, quae antecesserunt, quam ad sequentes formas conjunctivi revocatum est. Tusc. Disp. 3, 19, 46: Revocari igitur oportere a maerore ad cogitationem bonorum, conveniret mihi cum Epicuro, si, quid esset bonum, conveniret. De Orat. 1, 42, 190: Hisce ego rebus exempla adjungerem, nisi, apud quos haec haberetur oratio, cernerem: ubi quod Goerenzius ad Acad. 1, 2, 4 scribendum censuit et Muellerus scripsit praesens indicativi habetur, ne latinum quidem est. Ad Fam. 2, 6, 5: Ego ni te videre scirem, quum ad te haec scriberem, quantum officii sustinerem, quantopere mihi esset in hac petitione Milonis omni non modo contentione sed etiam dimicatione elaborandum, plura scriberem. Ad Qu. frat. 1, 1, 15: Denique illud etiam debes cogitare, non te tibi soli gloriam quaerere; quod si esset, tamen non negligeres, praesertim quum amplissimis monumentis consecrare voluisses memoriam nominis tui. De Fin. 2, 19, 60: Utrum tandem censes, Torquate, Imperiosum illum, si nostra verba audiret, tuamne de se orationem libentius auditurum fuisse, an meam, quum ego dicerem, nihil eum fecisse sua causa omniaque rei publicae, tu contra, nihil nisi sua? De Nat. Deor. 1, 17, 45: Si nihil aliud quaereremus, nisi ut deos pie coleremus et ut superstitione liberaremur, satis erat dictum; nam et praestans deorum natura hominum pietate coleretur, quum et aeterna esset et beatissima e. q. s. Ib. 3, 4, 9: Cur contuerere autem altero oculo, causa non esset, quum idem obtutus esset amborum, et quum rerum natura, quam tu sapientem esse vis, duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluisset. Ib. 2, 1, 3: Quodsi haberem aliquid, quod liqueret, tamen te vicissim audire vellem, quum ipse tam multa dixissem. Ad Fam. 9, 16, 4: Servius, frater tuus, quem litteratissimum fuisse judico, facile diceret: „Hic versus Plauti non est, hic est,“ quod tritas aures haberet (i. e. habebat)

notandis generibus poetarum et consuetudine legendi. Tusc. Disp. 4, 16, 36: Quodnisi eo nomine virtutes continerentur, nunquam ita pervulgatum illud esset, ut jam proverbii locum obtineret.

Horum locorum omnium ratio quantopere a nostra consuetudine abhorreat, facile apparet. Nos enim in convertendis his partibus, quae interpositae sunt nec ad ipsam conditionem pertinent, similitudine reliquae orationis omissa, conjunctivo prorsus abstinemus: quo tum utimur, si ipsa vis conditionalis et significatio effectrix conjunctivi est. Cujus quidem generis nonnulla exempla adjungam, quae ubi cum iis, quae supra attuli, comparaveris, quid discriminis intercedat, videbis. Cic. Cat. Maj. 11, 38: *Quae si exsequi nequirem, tamen me lectulus meus oblectaret ea ipsa cogitantem, quae jam agere non possem; sed ut possim, facit acta vita.* Ad Qu. frat. 1, 1, 1: *Quodsi tibi bellum aliquod magnum et periculosum administranti prorogatum imperium viderem, tremere animo, quod eodem tempore esse intelligerem etiam fortunae potestatem in nos prorogatum. Nunc vero ea pars tibi rei publicae commissa est, in qua aut nullam aut per exiguam partem fortuna tenet.* De Nat. Deor. 2, 37, 95: *Praeclare ergo Aristoteles, Si essent, inquit, qui sub terra semper habitavissent bonis et illustribus domiciliis, quae essent ornata signis atque picturis instructaque rebus iis omnibus, quibus abundant iis, qui beati putantur, nec tamen exissent unquam supra terram, accepissent autem fama et auditione, esse quoddam numen et vim deorum; deinde aliquo tempore patefactis terrae faucibus ex illis abditis sedibus evadere in haec loca, quae nos incolimus, atque exire potuissent: quum repente terram et maria coelumque viderent, nubium magnitudinem ventorumque vim cognovissent aspexissentque solem ejusque tum magnitudinem pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognovissent, quod is diem efficeret toto coelo luce diffusa: quum autem terras nox opacasset, tum coelum totum cernerent astris distinctum et ornatum, lunaeque luminum varietatem tum crescentis tum senescentis, eorumque omnium ortus et occasus atque in omni aeternitate ratos immutabilesque cursus: haec quum viderent, profecto et esse deos et haec tanta opera deorum esse arbitrarentur.* Adde, si tanti esse videbitur, pro Sest. 20, 45; 22, 49; 38, 83. De Orat. 1, 35, 162; 48, 210 seqq. 54, 231. Ad Qu. frat. 1, 1, 3. Ad Fam. 4, 9, 3; 6, 6, 12. De Rep. 1, 4, 7.

Atque ut in sententiis conditionalibus interpositae partes, etiamsi a conditione sejunctae sunt, tamen formam conditionalem induunt, sic etiam tum, quum quid sibi proposuerit aliquis indicatur, rationes, quibus ad consilium suum ineundum commotus sit, etiamsi quovis tempore valent, tamen ad id potissimum tempus, quo consilium susceptum est, referuntur. Cicero enim initio primi libri Tusculanarum Disputationum ad Brutum scribens, se a muneribus rei publicae liberatum ad studium philosophiae revertisse, haec adjungit: *et quum omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinerent, ratio et disciplina studio sapientiae, quae philosophia dicitur, contineretur, hoc mihi latinis litteris illustrandum putavi.* Quem locum interpretantes nos praesenti utimur, quoniam semper omnium artium, quae ad rectam vivendi viam pertinent, ratio et disciplina studio sapientiae continetur. De Nat. Deor. 2, 27, 67: *Quumque in omnibus rebus vim haberent maximam prima et extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt.* Neque enim in solam aetatem priscorum Romanorum cadit, ut in omnibus rebus vim habeant

maximam prima et extrema, sed in omnes aetates. Cf. Ib. 2, 31, 80: *Postremo quum satis docuerimus, hos esse deos, quorum insignem vim et illustrem faciem videremus, solem dico et lunam et vagas stellas et inerrantes et coelum et mundum ipsum et earum rerum vim, quae inessent in omni mundo cum magno usu et commoditate generis humani: efficitur, omnia regi divina mente atque prudentia.* Imperfecta videremus et inessent ad praecepta grammaticorum accommodatissima, actionem tamen non praeteritam significant sed praesentem; et pro Rosc. Am. 50, 147: *Quasi vero nescias, hunc et ali et vestiri a Caecilia, spectatissima femina; quae quum patrem clarissimum, amplissimos patruos, ornatissimum fratrem haberet, tamen, quum esset mulier, perfecit, ut, quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur, non minora illis ornamenta ex sua laude redderet, orator rem tum praesentem imperfectis haberet et esset expressit propter similitudinem sequentium temporum, qua neglecta nos in convertendo loco praesenti tempore uti necesse est.* In altero autem de Natura Deorum libro nonnulli loci sunt, quibus, quae res bestiis quibusdam propriae sunt, imperfecto indicativi commemorantur, quoniam ad illud tempus referuntur, quo primum has bestias natura procreavit: 47, 121: *Pastum autem animantibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus erat, comparavit.* 122: *Manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad pastum. At quibus bestiis erat is cibus, ut alius generis bestiis vescerentur, aut vires natura dedit aut celeritatem.* 64, 160: *Sus vero quid habet praeter escam? — qua pecude, quod erat ad vescendum hominibus apta, nihil genuit natura fecundius.* Nec tamen necessarium imperfectum in ejusmodi sententiis esse, apparet ex ejusdem libri §. 128: *Atque ut intelligamus, nihil horum esse fortuitum et haec omnia esse opera providae sollertisque naturae: quae multiplices fetus procreant, ut sues, ut canes, his mammaram data est multitudo.* Comparari potest de Off. 1, 35, 126: *Corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem, quae formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu, quae partes autem corporis ad naturae necessitatem datae aspectum essent deformem habiturae atque foedum, eas contexit atque abdidit.* Ubi imperfectis consilium, quod natura in fabricando corpore humano secuta est, describitur.

Sequitur genus locorum varium et mixtum. Apud Ciceronem Tusc. Disp. 3, 6, 12 Crantor, philosophus Academicus, *Minime*, inquit, *assentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magno opere laudant, quae nec potest ulla esse nec debet. Ne aegrotus sim: sin quid fuerit, sensus adsit, sive secetur quid sive avellatur a corpore.* Conjunctivo *secetur* et *avellatur* cur scriptor potius quam indicativo, qui cum particulis *sive* — *sive* jungendus est, uti maluerit, causam equidem video nullam praeter vicinitatem conjunctivorum *adsit, fuerit, sim*, quae effecit, ut idem modus continuaretur. Eadem ratio conjunctivi est, quem cum pronomine *quicumque* Cicero conjunxit de Imp. Cn. Pomp. 4, 9: *Mithridates posteaquam maximas aedificasset ornassetque classes exercitusque permagnos, quibuscunque ex gentibus potuisset, comparasset et se Bosporanis, suittimis suis, bellum inferre simularet, usque in Hispaniam legatos ac litteras misit.* Et Acad. 2, 3, 9: *Quibus de rebus et alias saepe multa quaesita et disputata sunt et quondam in Hortensii villa, quae est ad Baulos, quum eo Catulus et Lucullus nosque ipsi postridie venissemus, quam*

apud Catulum fuissemus: conjunctivus fuissemus propter antecedentem conjunctivum venissemus positus est. Cf. Cat. Maj. 12, 42: *Inventus feci, ut fortissimi viri T. Flaminini fratrem L. Flamininum e senatu ejicerem septem annis post quam consul fuisset.* Tusc. Disp. 1, 16, 37: *Tantumque valuit error, qui mihi quidem jam sublatus videtur, ut, corpora cremata quum scirent, tamen ea fieri apud inferos fingerent, quae sine corporibus nec fieri possent nec intelligi, ubi quum possunt dicendum esset, quod Ernestius legendum esse conjecit, (ut paulo post dicitur: *Has tamen imagines loqui volunt, quod fieri nec sine lingua nec sine palato . . . potest*), imperfecti conjunctivi forma, quae praecessit, retenta est. De Nat. Deor. 2, 50, 126: *Auditum est, pantheras, quae in barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere, quo quum essent usae non morerentur; capras autem in Creta feras, quum essent constrae venenatis sagittis, herbam quaerere, quae dictamnus vocaretur; quam quum gustavissent, sagittas excidere dicunt e corpore.* Plusquamperfectum gustavissent quamvis ad partem sententiae sequentem pertineat, ut tempus, quo sagittae e corpore excidant, definiatur, formam tamen orationis ab initio institutam retinuit, perinde ac si non sagittas excidere dicunt sed, ut paulo ante morerentur dictum est, sagittae exciderent e corpore sequeretur. De Rep. autem 2, 7, 12: *Romulus ad firmandam novam civitatem novum quoddam et subagreste consilium . . . secutus est, quum Sabinas honesto ortas loco virgines, quae Romam ludorum gratia venissent, quos tum primum anniversarios in circo facere instituisset, Consualibus rapi jussit:* hoc enunciatum relativum quos tum primum anniversarios in circo facere instituisset non potest pariter atque illud, quod praecedit, quae Romam ludorum gratia venissent ad mentem ac cogitationem Romuli referri, sed ab eo additum esse, qui rem narrat, putandum est; et tamen eodem, quo illud, modo expressum est. Cf. lb. 3, 9, 14: *Si quis, illo Pacuviano invehens alitum anguimum curru, multas et varias gentes et urbes despiciere et oculis collustrare possit, videat primum in illa incorrupta maxime gente Aegyptiorum — — bovem quendam putari deum, quem Apim Aegyptii nominent.* Hoc quem Apim Aegyptii nominent etsi ad similitudinem reliquae orationis se accommodavit, tamen additum est ab ipso scriptore. Nam ille, qui invehens per aëra fingitur, e curru suo Apim videre forsitan possit, nomen non potest. Atque horum locorum similitudine adducor, ut in eo loco, qui legitur de Orat. 1, 54, 232: *Socrates respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur et ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur, qui honos apud Graecos maximus haberetur:* vehementer dubitem, num recte editiones praestantissimae Ellendtiana et altera Orelliana Ernestium secutae sint, qui hunc conjunctivum haberetur, quem consensus omnium librorum tuetur, in indicativum habetur mutavit. Et Tusc. Disp. 1, 21, 48: *E quo intelligi potest, quam acuti natura sint, quoniam haec sine doctrina credituri fuerint:* conjunctivus fuerint, cui editores praeter Orellium indicativum ab aliis codicibus oblatum praetulerunt, sane probabilis est. Ad Fam. 4, 7, 1: *Etsi eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quod ea te sapientia esse judicem, ut meum consilium non antepoñam tuo: tamen —* conjunctivum judicem contra usum ac consuetudinem repugnare Zumptius Gram. §. 537 recte dicit, sed causam, cur repugnet, non affert: causa est aequabilitas orationis in similitudine reliquorum conjunctivo-*

rum *audeam, dissentiam, antepoſitam* collocata, quam Cicero retinere ſatius eſſe duxit. Huic aequabilitati quantopere ſtuderit, apparet ex Tusc. Diſp. 1, 19, 41: *Quinque corporis facibus inflammari ſoleamus ad omnes fere cupiditates eoque magis incendi, quod iis aemulemur, qui ea habeant, quae nos habere cupiamus, profecto beati erimus, quum corporibus relictis et cupiditatum et aemulationum erimus expertes.* Quae poteſt enim conjunctivorum aemulemur, habeant, cupiamus causa eſſe alia praeter ſimilitudinem primi conjunctivi ſoleamus a conjunctione quum pendentis, ad quam ſimilitudinem qui ſequuntur ſe accommodaverunt? Cf. Orat. 7, 23: *Sed ego idem, qui in illo ſermone noſtro, qui eſt expoſitus in Bruto, multum tribuerim Latinis, vel ut hortarer alios vel quod amarem meos, recordor longe omnibus unum anteferre Demotheſtem.* Paradox. 6, 48: *Quis igitur, ſi quidem, ut quiſque, quod plurimi ſit, poſſideat, ita divitiſſimus habendus ſit, dubitet, quin in virtute divitiarum ſint?* Verba enim *ſi quidem, ut quiſque, quod plurimi ſit, poſſideat, ita divitiſſimus habendus ſit* nullam habent dubitationem, ad quam ſignificandam conjunctivo opus ſit, ſed ſententiam continent certiffimam: ergo conjunctivorum causa haec eſt, quod ad conjunctivum *quis igitur dubitet* ſe applicarunt. Similis eſt locus, qui legitur ad Qu. frat. 1, 1, 8: *Eſt autem non modo ejus, qui ſocius et civis, ſed etiam ejus, qui ſervis, qui mutis pecudibus praeeſt, eorum, quibus praeeſt, commodis utilitatique ſervire:* ubi prioris conjunctivi *praeeſt* non eſt alia ratio, quam quod a poſteriore pendet. Cf. ad Att. 3, 13, 2: *Quod me ſaepe accuſas, cur hunc meum caſum tam graviter feram, debes ignoſcere, quum ita me afflictum videas, ut (wie) neminem unquam nec videris nec audieris.* Neque corruptus eſſe mihi videtur hic locus orationis pro Sulla habitae 32, 91: *Quid enim erat mali, quod huic ſpoliato fama, honore, fortunis deſſe videretur? aut cui novae calamitati locus ullus relictus eſſet?* cui qui emendationem inferendam eſſe putant, ut vel *relictus eſſe* vel *relictus eſt* legatur, dum praeceptis grammaticorum conſulere videntur, aequabilitatem formae tollunt, ad quam Cicero utrumque membrum ſententiae revocavit. Idem in Caecil. Divin. 6, 21: *Cur nolint, etiamſi taceant, ſatis dicunt. Verum non tacent:* ut eandem temporum formam retineret, praeeſenti taceant uſus eſt, pro quo codices deteriores imperfectum exhibent *tacerent*, legibus grammaticis illud quidem congruentiffimum: ſed a concinnitate orationis hic proſus abhorret. Jam qui conjunctivi hiſ locis interpoſiti ſunt, de Orat. 2, 1, 1: *Erantque multi, qui, quamquam non ita ſe rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incenſos ſtudio diſcendi a doctrina detererent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus praedicarent:* et de Divin. 1, 3, 5: *Nam quum Socrates omneſque Socratici Zenoque et ii, qui ab eo eſſent profecti, manerent in antiquorum philoſophorum ſententia — — —: Dicaearchus Peripateticus cetera divinationis genera ſuſtulit, ſomniorum et furoris reliquit:* quae poteuit eorum causa eſſe, niſi ut reliquam orationis conformationem imitarentur? Adde de Rep. 2, 29, 51: *Quare prima ſit haec forma et ſpecies et origo tyranni, inventa nobis in ea re publica, quam auſpicato Romulus condiderit, non in illa, quam, ut perſcripſit Plato, ſibi ipſe Socrates Peripatetico illo in ſermone depinxerit.* Itaque Tusc. Diſp. 3, 11, 25: *Sed cetera alias: nunc aegritudinem, ſi poſſumus, depellamus. Id enim ſit propoſitum: conjunctivus ſit propoſitum* ut formae ſic naturae conjunctivi praecedentis particeps, adhortativus,

non, ut interpretes nonnulli voluerunt, dubitativus vel potentialis est, nec locus conjecturis tentandus est. Quid quod etiam perfectum illud prorsus mirum et singulare, quod legitur in Verr. 1, 30, 75: *qui in illa re quid facere potuerit, non habebat*: si vera lectio est, ita expediendum est, ut potius ad praesens conjunctivi *proferam*, quod antecedit, quam ad sequens imperfectum *habebat*, unde pendet, relatum esse videatur? Haec quidem sententia est viri doctissimi Frid. Haasii, quam ad Reisigii Gram. Lat. pag. 594. not. 500. proposuit. Jam ut in enunciationibus hujusmodi: *Non omnis error stultitia est dicentia, Corinthus, totius Graeciae lumen, extinctum est*, praedicata non ad ea vocabula, quae vere subjecta sunt, sed ad proxime collocata relata sunt: idem in temporibus et modis fieri solet. Saepe enim partes quaedam interpositae eam vim habent, ut reliqua oratio tota ad has partes, quoniam proximae sunt, referatur, ea ratione, quae ab initio inchoata erat, omissa. Cic. ad Qu. frat. 1, 1, 16: *Facies enim perpetuo, quae fecisti, ut omnes aequitatem tuam, temperantiam, severitatem integritatemque laudarent*. Ernestius legit *laudent*; nec immerito: Cicero enim fratrem facere jubet, ut omnes aequitatem ipsius, temperantiam . . . laudent; sed quum idem fratri hoc tribuat, ut eum id jam fecisse dicat, ad hoc praeteritum *fecisti*, quoniam propius est, quam ad illud futurum *facies* reliquam orationem accommodare maluit. Simillimus est locus de Rep. 3, 3, 4: *Ratio civilis et disciplina populorum perficit in bonis ingeniis, id quod jam persaepe perficit, ut incredibilis quaedam et divina virtus existeret*. Ad Attic. 11, 16, 3: *Quamobrem idem a te nunc peto, quod superioribus litteris, ut, si quid in perditis rebus dispiceres, quod mihi putares faciendum, me moneres*. Ad Qu. frat. 1, 1, 13: *Neque ego nunc hoc contendo, quod fortasse quum in omni natura, tum jam in nostra aetate difficile est, mutare animum et, si quid est penitus insitum in moribus, id subito evellere*. Dicturus erat: *neque ego nunc hoc contendo, ut mutes animum et . . . evellas*, sed ad ea, quae admonitionis leniendae causa interponuntur, deinde oratio plane revocatur. De Divin. 1, 33, 72: *In Sisennae scriptum historia videmus, quod te inspectante factum est, ut, quum Sulla in agro Nolano immolaret ante praetorium, ab infima ara subito anguis emergeret*. Verba ut — — *emergeret* quamquam referri debebant ad illud scriptum *videmus*, tamen pendunt a verbo proximo *factum est*. De Rep. 1, 6, 11: *Maximeque hoc in hominum doctorum oratione mihi mirum videri solet, quod, qui tranquillo mari gubernare se negent posse, quod nec didicerint nec unquam scire curaverint, iidem ad gubernacula se accessuros profiteantur excitatis maximis fluctibus*. Hoc *profiteantur* quum indicativus deberet esse pendens a *maxime mihi mirum videri solet*, interpositorum conjunctivorum formam accepit. Idem factum est de Nat. Deor. 1, 8, 20: *Sed illa palmaris, quod idem, qui non modo natum mundum introduxerit, sed etiam manu paene factum, is eum dixerit fore sempiternum*. De Rep. 2, 22, 39: *Curavitque (Servius), quod semper in re publica tenendum est, ne plurimum valeant plurimi*. Dicendum erat, quoniam, quid Servius rex curaverit, exponitur, *ne plurimum valerent plurimi*, ut ante dictum est: *populumque ita disparavit, ut suffragia non in multitudinis, sed in locupletium potestate essent*; sed illud interjectum *quod semper in re publica tenendum est* effecit, ut oratio ad praesens tempus deflecteret. De Nat. Deor. 2, 46, 118: *Ex quo eventurum nostri putant id, de quo Punaetium addubitare dicebant, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, quum hu-*

more consumpto neque terra ali posset neque remearet aer, cujus ortus, aqua omni exhausta, esse non posset: ita relinqui nihil praeter ignem, a quo rursus, animante ac deo, renovatio mundi fieret atque idem ornatus oriretur. Nemo non videt, verba ut ad extremum omnis mundus ignesceret et quae sequuntur, pendere ab illo, quod primum positum est, ex quo eventurum nostri putant; et tamen tempora non ad praesens illud putant, sed ad proximum imperfectum dicebant relata sunt. Cf. ad Fam. 2, 19, 1: *Verebar, ne ita caderet, quod etiam nunc vereor, ne ante, quam tu in provinciam venisses, ego de provincia decederem.* Oratio, nisi interjecta essent verba quod etiam nunc vereor, ita progressura erat: *ut ante, quam . . . venisses, ego . . . decederem*; nunc conjunctio *ne* ad proximum verbum *vereor*, tempora ad imperfecta, quae praecesserunt, relata sunt. De Nat. Deor. 1, 27, 77: *Quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura praescipsit, ut nihil pulchrius quam hominem putaret, eam esse causam, cur deos hominum similes putarem?* Hunc locum Schoemannus graviter vituperat, et tamen vituperatione videtur prorsus carere. Neque enim quidquam conditionale, ut vir ille doctissimus statuit, in sententia inest, et, quum ita dicendum esset: *Quid igitur mirum (est), eam esse causam, cur deos hominum similes putemus* (et in nonnullis codd. ita legitur), hoc extremum verbum ad similitudinem imperfecti putaret, quod interpositum est et a praeterito praescipsit pendet, adhaerescens ipsum quoque in imperfecti formam abiit. Simillimus est locus Lael. 1, 2: *Meministi enim profecto, Attice, et eo magis, quod P. Sulpicio utebare multum, quum is tribunus plebis capitali odio a Q. Pompejo, qui tum erat consul, dissideret, quocum conjunctissime et amantissime vixerat, quanta esset hominum vel admiratio vel querela.* Ubi praesens *meministi* propter interposita tempora praeterita denique etiam praeteritum tempus conjunctivi *esset* sequitur. De Divin. 2, 46, 96: *Quid? illudne dubium est, quum in multi, quum ita nati essent, ut quaedam contra naturam depravata haberent, restituerentur et corrigerentur ab natura, quum se ipsa revocasset, aut arte atque medicina?* Pro Sulla 20, 57. 58: *Veri simile non est, ut, quem in secundis rebus, quem in otio semper secum habuisset, hunc in adversis et in eo tumultu, quem ipse comparabat, ab se dimitteret. Ipse autem Sittius is homo est aut ea familia ac disciplina, ut hoc credi possit, eum bellum populo Romano facere voluisse? ut, cujus pater, quum ceteri deficerent finitimi ac vicini, singulari exstiterit in rem publicam nostram officio et fide, is sibi nefarium bellum contra patriam suscipiendum putaret?* Hujus loci priorem partem neque Kramarczikus program. gymn. Heiligenstadt. 1855. pag. 11 neque Halmius recte videntur interpretati esse: atque hic quidem imperfectum *dimitteret* quum in prima editione (Weidmanniana) ad imperfectum *arbitratur*, quod in superiore sententia antecessit, referendum esse statuisset, postea modum potentialem temporis praeteriti esse dixit. Zumptius ad Accus. in Verr. 4, 6, 11 conditionale imperfectum esse censuit. Imitatum est autem imperfectum *dimitteret*, etsi a verbis *veri simile non est* pendet, formam temporum praeteritorum, quae interposita sunt, — de conjunctivi plusquamperfecto *habuisset* cf. Zumpt. Gram. §. 516. not. edit. 11. — quemadmodum id, quod deinde sequitur, *putaret* ad infinitivum *facere voluisse* se accommodavit neque, id quod Ernestius voluit, in *putarit* mutandum est. Et diversi sunt loci, quos Halmius ad suam rationem probandam

laudat, in Verr. 4, 6, 11: *Veri simile non est, ut ille homo tam locuples, tam honestus, religioni suae monumentisque majorum pecuniam anteponeret*, et pro Rosc. Amer. 33, 92: *Video igitur, causas esse permultas, quae istum impellerent*, in quo utroque loco quum nulla sint interjecta tempora praeterita, ad quae imperfecta anteponeret et impellerent referri possint, in altero modus potentialis temporis praeteriti recte adhibetur; in altero statuendum est, praeeunte Madvigio, infinitivum esse infinitivum non praesentis sed imperfecti esse, ut sententia sit: *Erant igitur causae permultae, quae istum impellerent*. Ad quam rationem illustrandam comparari potest infinitivus praesentis, qui legitur de Off. 1, 30, 108: *Q. Maximum accepimus facile celare, tacere, dissimulare, insidiari, praeripere hostium consilia*, et qui cum verbo meminisse conjungitur, ut pro Sestio 35, 77: *Meministis tum, judices, corporibus civium Tiberim compleri, cloacas refarciri, e foro spongiis effingi sanguinem, ut omnes tantam illam copiam et tam magnificum apparatus non privatum aut plebejum, sed patricium et praetorium esse arbitrarentur*. Cujus loci infinitivi quamvis praesentis temporis formam prae se ferant, tamen significant tempus praeteritum ob eamque rem imperfectum conjunctivi sibi subjunxerunt. Neque absimile videtur esse, quod in eadem oratione dictum est 14, 32: *Etiamsi edicere audeas, ne maererent homines*. Sed quo melius possim explicare, qualem loci rationem esse equidem censeam, totum transcribam. Cicero igitur, injuriam a consulibus factam describens, *Subito*, inquit, *edicunt duo consules, ut ad suum vestitum senatores redirent. Quis unquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit? quis tyrannus miseros lugere vetuit? Parumne est, Piso, ut omittam Gabinium, quod tantum homines fefellisti, ut negligeres auctoritatem senatus, optimi cujusque consilia contemneres, rem publicam proderes, consulare nomen affligeres? etiamsi edicere audeas, ne maererent homines meam, suam, rei publicae calamitatem, ne hunc suum dolorem veste significarent?* Duae sunt quasi series quaedam temporum, altera praesentia *edicunt*, *parumne est, audeas* continet, altera imperfecta inde apta et suspensa. Ac primum quidem *edicunt*, quum praesens sit historicum, imperfectum *redirent* recte sibi ascivit; alteri *parumne est* ut imperfecta addi possent, perfectum *fefellisti* interpositum effecit; itaque etiam tertio *audeas* idem genus temporum conjunctivi subjunctum est. Quod quamvis sit durum ad leges grammaticas, tamen et concinnitati totius loci consultum est et haec insolentia constructionis dolori oratoris rei indignitate incenso admodum est accommodata. Itaque qui *audebas* corrigunt, vim oratoriam loci infringunt. Tusc. Disp. 2, 2, 5: *Atque oratorum quidem laus ita ducta ab humili venit ad summum, ut jam, quod natura fert in omnibus fere rebus, senescat brevique tempore ad nihilum ventura videatur, philosophia nascatur latinis quidem litteris ex his temporibus eamque nos adjuvemus nosque ipsos redargui refellique patiamur*. Bentlejus legendum censuit *nascitur*, alii tres posteriores conjunctivos omnes adhortativos esse putaverunt; sed una cum praecedentibus conjunctivorum formis *senescat* et *videatur* ad conjunctionem ut referendi sunt, quamquam ea, quae describitur, conditio eloquentiae efficere non potest, philosophia ut efflorescat. Ib. 3, 33, 80: *Tu enim de sapiente quaesieras, cui aut malum videri nullum potest, quod vacet turpitudine, aut ita parvum malum, ut id obruatur sapientia vixque appareat, qui nihil opinione affingat as-*

sumatque ad aegritudinem nec id putet esse rectum, se quam maxime excruciaci luctuque confici: quo pravius nihil esse possit. Hoc loco sapiens describitur duplici enunciato relativo, quae enunciacia paria sunt et inter se respondent. Quorum illud cui aut malum videri nullum potest . . . aut ita parvum malum . . . quum indicativum potest habeat et merito habeat, etiam hoc qui nihil opinione . . . eundem modum affingit . . . retinere debebat; sed quae interposita sunt quod vacet turpitudine et ut id obruatur sapientia vixque appareat, necessario conjunctivum requirunt efficiuntque, ut ad eundem modum tota reliqua oratio delabatur. Multo difficilior est locus, sed ad hanc ipsam rationem, de qua haec disputatio suscepta est, revocandus, qui legitur Tusc. Disp. 5, 11, 33: *Non ego hoc loco id quaerendum puto, verumne sit, quod Zenoni placuerit quodque ejus auditori Aristoni, bonum esse solum, quod honestum esset, sed, si ita esset, tum ut hoc totum beate vivere in una virtute poneret.* Quae in extrema hujus loci parte imperfecta esset et poneret leguntur, ea plerique interpretes conditionalia esse statuerunt. Itaque Bentlejus locum conjectura tentavit, quem secutus Wolfius verba ita mutavit: *sed, ni ita esset, n u m hoc totum beate vivere in una virtute ponerent;* sed sic mutata a sententiarum ratione abhorrent. Klotzjus quidem, qui ex hac Wolfiana lectione solum illud *ni* recepit, quam sententiam loci esse velit, equidem non video. Orellius et qui eum sequitur Kuehnerus vulgatam tuentur, sed quum etiam ipsi sententiam conditionalem esse statuunt, non recte interpretantur. Cicero enim non de Peripatetico sive Bruto, ut putat Orellius, sed de solo Zenone ejusque auditore Aristone, qui solam virtutem bonum esse dixerunt, loquitur; de qua sententia, utrum vera sit an falsa, nihil statuit, sed, si vera sit, effici ait, ut vita beata in sola virtute ponenda sit. Loci igitur sententia haec est: *Non ego hoc loco quaero, verumne sit, quod Zenoni placuerit, sed si verum sit, tum necessario fieri dico, ut hoc totum beate vivere in una virtute ponat.* Imperfecta autem esset et poneret ad ea verba *bonum esse solum, quod honestum esset,* quae interposita Zenonis et Aristonis sententiam explicant et a perfecto *placuerit* pendent, relata sunt: quae verba interposita non solum hoc effecerunt, ut tempora, quae praesentia esse debebant, in formam imperfecti abirent, sed etiam ut tota orationis conformatio alia et, ut ajunt grammatici, ἀνακόλουθος fieret. Ex verbis enim *quaerendum puto* illud *tum ut* . . . pendere non potest animoque Ciceronis inter scribendum aliud quid observatum est, quod consecutionem significaret: quare in explanatione loci *necessario fieri dico* addidi.

Ex iis igitur locis, quos attuli, apparet, temporum et modorum formas saepissime ad similitudinem eorum verborum, quae proxime collocata sint, ita revocari, ut potius aequabilitatis et concinnitatis orationis quam legum grammaticarum ratio habita esse videatur. Qui usus recte ad illud genus vocabulorum conjungendorum refertur, quam attractionem vocant: quae quam late per plurimas partes linguae non solum graecae sed etiam latinae pateat, notissimum est. Atque quod in latinis temporibus et modis fieri demonstrare studui, idem a graecis scriptoribus usurpatum esse ut breviter attingam, versum illum notissimum

ὡς ἀπόλοιο καὶ ἄλλος, ὃ τις τοιαῦτα γε ἔέξοι,

eujus plurimi apud Homerum similes leguntur, et hos locos Platonis e Menone affero pag. 89. B.

οὗς ἡμεῖς ἂν παραλαβόντες . . ἐφιλάτομεν . . , ἵνα μηδεὶς αὐτοὺς διέφθειρεν, ἀλλ' ἐπειδὴ ἀφίκοιντο εἰς τὴν ἡλικίαν, χρήσιμοι γίγνονται ταῖς πόλεσιν. Pag. 92. C. πῶς οὖν ἂν εἰδείης περὶ τούτου τοῦ πράγματος, εἴτε τι ἀγαθὸν ἔχει ἐν ἑαυτῷ εἴτε φλαῦρον, οὐ παντάπασιν ἄπειρος εἶη; hic optativus indicativi εἰ locum obtinuit, nam esse se ἄπειρον paulo ante ipse Anytus dixit. Pag. 72. C. κἄν εἰ πολλαὶ καὶ παντοδαπαὶ εἰσιν (καὶ ἀρεταί), ἐν γέ τι εἶδος ταῦτόν ἄπασιν ἔχουσι, δι' ὃ εἰσὶν ἀρεταί, εἰς ὃ καλῶς που ἔχει ἀποβλέψαντα τὸν ἀποκρινόμενον τῷ ἐρωτήσαντι ἐκείνο δηλώσαι, ὃ τυγχάνει οὕσα ἀρετῆ. Ubi quum libri manuscripti partim ἀποκρινόμενον partim ἀποκρινόμενον exhibeant, Stallbaumius aoristum ita defendit, ut eum propter aliorum aoristorum concursum per quandam attractionem positum esse videri dicat.

Sed differt haec attractio, quam primus Fr. Ellendtius ad Cic. Brut. 32, 121 edit. 1. et nominavit et breviter tractavit, a consecutione temporum et modorum. Nam haec et necessaria est et ad praecepta revocari justaque doctrina comprehendi potest; illa tota in arbitrio ac licentia scriptoris posita neque praeceptis concludi potest et saepe neglecta est. Cujus neglectio, ut iterum a conditionalibus sententiis initium faciam, hoc primum exemplum pono Liv. 21, 40: *Si eum exercitum, milites, educerem in aciem, quem in Gallia mecum habui, supersedissem loqui apud vos. Quid enim adhortari referret aut eos equites, qui equitatum hostium ad Rhodanum flumen egregie vicissent, aut eas legiones, cum quibus fugientem hunc ipsum hostem secutus confessionem cedentis ac detrectantis certamen pro victoria habui?* ubi primum per attractionem conjunctivus vicissent ad praecedentes conjunctivos se applicavit, deinde, attractione neglecta, indicativus habui positus est; longinquitas enim loci illis conjunctivis vim, ut ita dicam, attrahendi ademit. Cic. Tusc. 5, 7, 18: *Quod ni ita esset, cur Stoicus, si esset quaesitum, satisne ad beate vivendum virtus posset, multa diceret? cui satis esset respondere, se ante docuisse, nihil bonum esse nisi quod honestum esset; hoc probato, consequens esse, beatam vitam virtute esse contentam; et quomodo hoc si it consequens illi, sic illud huic, ut, si beata vita virtute contenta sit, nisi honestum quod sit nihil aliud sit bonum.* Ubi ab imperfectis ad praesentia oratio traducta est, ne, si conditionalis forma continuaretur, veritas sententiarum in dubitatione collocata esse videretur. Ad Fam. 9, 2, 3: *Denique levissime qui suspicaretur et qui fortasse me optime novisset, putaret me idcirco discedere, quod quosdam homines oculi mei ferre non possunt.* Ernestius possent edidit, quo ea causa discedendi significaretur, quam is, qui Ciceronem optime novisset, cogitaret; indicativo possunt autem, quem Cod. Medicus exhibet, Cicero ipse hanc veram esse causam discedendi fatetur, quod quorundam hominum aspectum ferre non possit. Tusc. Disp. 1, 25, 60: *Illud, si ulla alia de re obscura affirmare possem, sive anima sive ignis si it animus, eum jurarem esse divinum.* Praesens sit ab imperfectis, inter quae collocatum est, prorsus alienum est; praesenti tamen Cicero uti maluit, ne, si dixisset, id quod attractio suadebat, *sive anima sive ignis esset animus*, conditionalis oratio esse et ipse animum vel animam vel ignem esse negare videretur. Nam etsi paulo ante eum ipsum locum, quem ascripsi, confitetur: *anima sit ignis nescio*, supra tamen 17, 40. 41 satis aperte ostendit, veri similiorem sibi videri sententiam eorum, qui vel animam vel ignem, quam eorum, qui aliud quidquam animum esse statuerent. Similis videtur esse locus, qui legitur de Fin. 1, 7, 25, quocum loco Madvigius eum, quem ex primo

